

**Sieger des *Premium Petronianum* anlässlich des *Satyrical Thementages* am 26. Januar 2013, verliehen vom Seminar für Klassische Philologie der Johannes Gutenberg-Universität Mainz für das Verfassen eines herausragenden Petron-Fragments in lateinischer Sprache**

**Autoren:** Matthias Berlandi, Lisa-Marei Pulverich  
**Tutoren:** Valerie Duchscherer, Gianna Zipp

### **Textus restitutus Petron, Sat 84,3ff.**

Dieser Text soll, wie sich aus der Überschrift erkennen lässt, an der Stelle 84, 3 in Petrons *Satyrica* eingefügt werden. In dem Fragment wird der Diskurs über den Konflikt zwischen Reichtum und den “verachteten Künsten” (*desertas artes*) weitergeführt. Sprachlich orientiert sich der Text an stilistischen Besonderheiten der Sprache Petrons (*sermo urbanus* mit poetischer Einlage).

*Dictis his verbis iuxta tabulam pugnam tractantem Troianam consedit senex ille caput in manus genibus impositas colligens. ,Imprudentem constat', inquam, ,rationem istam, quam, ut recte dicis, abhorrere ab antiqua nostra dicendi facultate certe nos scimus, quam docuerunt maiores. Cur, dic mihi, semper in eundem errorem incident homines, qui appellari velint sapientes, ut divitias praeparent inutiles propter, ad summam, divitias ipsas nescientes vera vitae bona? Arsitne Iuppiter amore Ganymedis captus quia pecuniarum copias obtinuit? Putandusne Iuppiter eum amasse divitiis commotus? Suntne qui collocent Letoida in Omphalo propter divitias quasdam? Solitine eum adire propter paupertatem? Noveruntne, quaeram, artes eius? Intende animum in istum nomine Persen, quem docet Hesiodus peccasse, cum secutus sit nocentem Erida, ut ita dicam, conantem solum, ut putare solemus, heredem parentum bonorum fieri.'*  
*,Non solum peccasse' inquit canus ,sed etiam destruxisse fraternitatem, quod factum pessimum appellem errorem.' ,Haud dubium' inquis ,istum nobis, si vis, exemplum' ut munere fungens poeseos dicam ,caecitatis a pecuniis excitatae'. ,Sed', cum intermisi verba, ,inimicus quilibet litteris audiat poema tuum, quod nuper cantavisti dicens facundiam desertas invocare artes. Cur sint desertae, equidem nescio. Violasse deditos pecuniis, persuasum quidem mihi, imaginem Nestoris, consultoris sapientis Agamemnonis, memoriae mandatam, quem, vide et tu, ubi consederis, in tabernaculis sedentem scimus bellum consiliis tam doctis*

*inter pugnantes gessisse. Vide ergo tabulam hanc in pariete iuxta te  
<adhaesam>.'*

*Poeta oculos ocios tollens et pictos asspiciens fortis exclamat: ,Ecce enim, nos, quibus datum est intellegere, non tabulam quandam, sed doctrinam, si ita liceat dici, sagacitatem oculorum, putasne, videmus. Verum, verum, sit alterum exemplum nobis senex, ut sum, Nestor, quo stultitiam pecunias quaerentum exponamus, ille loquax Nestor, qui gubernabat bellum, quem appellamus Troicum, per facultatem dicendi perque artem suam orationes componendi, quibus eum movisse putamus turbas pugnantium. Verba eius sapientiam praebentia polluuntur ab eis, qui animos intendant ad divitias morientes.'*

*Coepit surrectus a sede paulatim pedes recto itinere intendere ad pinacothecae porticus, cum ambulans oculis volantibus dicit:*

*,artes quas nemo possit delere vocamus.  
nobis praebetur via qua fugit optima tempus  
irreparabile. qui servat renovatas fiet  
ipse gubernator semper restans velut artes.'*

*Mihi, cum senem secutus sim oculis excitatis exeuntem, persuasum eum violentum esse, qui velut ebrius Trimalchionis amicus erat locutus.*

*<...>*